



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorum Liber ... Hoc est,  
Collectio Veterum monumentorum, quæ hactenus  
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1678**

Ejusdem sermo in hypapanti dictus coram Karolo Magno.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14688**

EIVSDEM SERMO  
IN HYPAPANTI DICTVS  
CORAM  
KAROLO MAGNO.

*Incipit sermo Alcuini magistri ad Karolum  
Imperatorem in Hypapanti Domini.*

I. **S**I subtiliter, gloriosissime Regum & imperiosæ virtutis, à fidelibus quæ & quanta sit hujus diei festivitas perpendatur, revera eo devotionis affectu hanc celebrandam suscipient quo dominicæ nativitatis, circumcissionis, atque apparitionis solemnitas sunt obsecuti. Illius enim est ista solemnitas cujus & illa. Sed nec minor ista quam illa. Quod utique in hoc sermone apertis monstrabimus argumentis.

II. Hujus quippe diei solemnitas, sicut à quibusdam Christianis ignoratur, sic à multis præ ceteris anni solemnitatibus honoratior habetur. Maxime autem eo loco quo primatum Ecclesia catholica in primo pastore sortita est in tanta reverentia habetur ut ea die cuncta civitatis turba in unum collecta immensis cereorum luminibus coruscans, Missarum solemnitas devotissime celebrent, nullusque aditum publicæ stationis intret si lumen manum non tenuerit, tamquam scilicet Dominum in templo oblaturi, immo etiam suscepturi fidei lumen, quo interius fulgent, exterius oblationis suæ religione demonstrant.

III. Hodie namque, juxta veritatem evangelij,

peractis à nativitate Christi quadraginta diebus, in templo est à parentibus idem Dominus præsentatus. Hodie à sancto Simeone susceptus, patrique Deo cum sacris muneribus oblatus est. Hodie redemptionem Israel expectantibus ab eodem Simeone & Anna publicè prædicatur. O quam pium spectaculum, quo nonnisi pij delectari probantur! Stat hinc virgo & mater, non cujuscunque, sed Dei. Suscipitur hinc parvulus virginis filius, cujus divinitatem non capit mundus. Occurrunt hinc inde Prophetæ, atque uterque sexus de puero prophetat. Offeritur oblatio pro puero, non tamen quæ delicta emundet, sed quæ sacramenta declarat.

IV. Et quia hujus diei præconium attollere cupio, libet ipsam evangelicam lectionem conloquendo transcurrere, in qua ista narrari cognosco; quatinus ad ea quæ dico illa respondeat, immo & ad ea quæ illa narrat, vox exhortationis meæ respondeat. Denique Lucas evangelista veritatis historiam de Christi incarnatione plenius atque ordinatius ceteris evangelistis exequens, post adnuntiationem ejus ab angelo factam, post nativitatem angelorum vobis declaratam, post circumcisionem octavi diei in domo parentum, hæc in ordinem sequitur dicens: *Postquam impleti sunt dies purgationis ejus secundum legem Moysi, tulerunt illum in Hierusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini, quia omne masculinum adaperiens vulvam sanctum Domino vocabitur.* Cunctis fidelibus liquet redemptoris matrem ex ejus nativitate nullam maculam contraxisse, qua illorum dierum spatio à sacris æditibus abstinens se purgaretur, quæ sine humana concupiscentia, sine humano concubitu virgo concepit, sine aliqua carnis corruptione virgo peperit, & sine fine virgo permansit; ac per hoc nec masculus ex ea natus vulvam ejus

Luc. 24

Luc. 2.

aperuit. Sed hoc juxta ejus narrationem evangelista contexens, claudit prius sacramentum divinae incarnationis, matremque legem observantem introducit. Nec mirum si mater observaret legem, cum ejus filius illam non venerat solvere, sed adimplere. Sciebat enim quo ordine conceperat, quo usum pepererat, & quis esset quem genuerat. Sed legem communem observans, expectavit purificationis diem, celavit filii majestatem. Hinc est quod eum in templo duodecim annorum inter doctores legis inveniens, filium Ioseph vocat dicens: *Filius, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus & ego dolentes querebamus te.* Quem proculdubio sciebat sine concubitu Ioseph concepisse, sine corruptione virginali edidisse. Sed cur abscondit conceptionis ac nativitatis illius sacramentum quem novit Deum immensum? Numquidnam quia invidet aliis quem ad templum deferens, sancti senis tradidit manibus? Sed ut spiritu prophetiae repleta, redemptionem mundi impiis non aperiat. Sciebat enim jam tunc gratia plena, spiritu divinitatis afflata, quia si hunc hujus seculi principes cognovissent, nunquam pro salute nostra crucifixissent.

V. Offer ergo, beatissima virgo, tamquam legem observans, in templo quem edidisti, ut non omnibus sed paucis reveletur quis est quem genuisti. Appareat interim lapis humilis, absconditus de monte sine manibus, ut reprobetur ab aedificantibus usquequo statuum in pedibus percutiens crescat in montem magnum impleatque universum orbem terrarum. O quam parvus, ô quam magnus est quem peperisti! Parvus in humilitate, magnus in divinitate. Parvus in regno Iudaeorum, magnus in regno gentium. Sed non ab omnibus in regno Iudaeorum parvus aestimatur. Nam & ipsa, quae hunc genuisti, ex ipso populo Israël in virgam crevisti.

Virga,

Virga, ô beata mater, de radice Iesse surrexisti & floruisti. Virga Aaron frondiisti & nucem peperisti. Et quia præ omnibus immensitatem ejus agnovisti quem tam parvissimum ex te natum vidisti, proculdubio quem infantem genuisti, Deum omnipotentem tremens adorasti, adorans tremuisti; quem tamen secundum humanitatem filium recognovisti, lactasti, fovisti, aluisti. Quis putas nobis posset indicare inter hujusmodi obsequia, animi tui sensum, ô beatissima virgo, cum hinc cerneres ex te natum tantillum infantem, illinc adtenderes Deum immensum, hinc creatum, illinc creatorem, hinc infirmum, illinc fortissimum, hinc alendum, illinc alentem, hinc non loquentem, illinc angelos docentem? Quis inquam tui pectoris arcana nobis referare valeat, quibus modis cogitatum ad utraque flectebas, cum unum eundemque Dei atque hominis filium manibus tenens, hinc adorares ut Dominum, illinc osculareris ut parvulum? Quis ad tam ineffabile miraculum non obstupescat? Quis non penè elinguis fiat? Generat puella suum & omnium creatorem, nutrit suum & omnium nutritorem, portat ad templum suum & omnium rectorem. O admirandum spectaculum, ad quod non solum humana, sed etiam angelica stupescit natura! Ad hoc, fratres carissimi, fidei oculos erigite, ad hoc pietatis affectu convenite. Ibi Christum suscipite pro vobis in carne humiliatum, sed adorare in sua divinitate Deum excelsum. Amplectimini parvulum, sed cogitate immensum. Amate humiliatum, sed timete excelsum.

VI. Iam verò, dilectissimi, si quaritur quid mysticè significatum fuerit in eo quod redemptor noster à matre & parentibus ex propria civitate in Hierusalem ad templum Domini se portari voluit, invenimus ipsam gloriosam matrem & virgi-

1. Cor. 11.

Psal. 86.

Math. 12.

Psal. 121.

1. Cor. 3.

Psal. 47.

nem ejusque propinquos figuram gessisse illius Ecclesie quæ ex Iudæa in Apostolis credidit. Quando enim Ecclesia non virgo, cujus membra Apostolus affatur dicens: *Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* Quando ipsa non mater, de qua per psalmistam dicitur: *Mater Sion dicitur homo.* Et Dominus in evangelio: *Quicumque fecerit voluntatem patris mei qui est in calis, ipse meus frater & soror & mater est.* Quando electi non propinqui, qui fratres & sorores sunt appellati? Mater itaque & propinqui redemptorem nostrum à Nazareth in Hierusalem in templum Domini deferunt, quia primitiva illa in primis discipulis Ecclesia à Iudæis repulsa, ejusdem redemptoris dispensationem ad notitiam gentium perduxit. Ipsa enim Ecclesia non solum ex gentibus, verum etiam ex Iudæis, Hierusalem id est visio pacis rectè vocatur. de qua per psalmistam dicitur: *Hierusalem qua edificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum.* Ipsa & templum sicut per Paulum fidelibus dicitur: *Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* Ac per hoc cum Apostoli ex Iudæa Christum adnuntiantes veniunt ad gentes, nimirum Hierusalem ad Hierusalem venit, & templum ad templum occurrit, cum hi omnes una sunt Hierusalem civitas, unum & templum. In hac itaque civitate atque in hoc templo ab Apostolis oblatus Christus excipitur. Unde & ipsa Ecclesia psalmistæ voce Deo patri loquitur dicens: *Suscipimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui; subaudis, in medio Ecclesie, quæ est templum tuum.*

VII. Sive autem juxta historiam, sive juxta mysticum intellectum, quare Christus à parentibus ad sanctam civitatem & templum ducatur, causa manifestatur, cum subjungitur: *Vt darent hostiam secundum quod dictum est in lege Domini, pariturum, aut duos pullos columbarum.* Præceptum le-

gis liquidem fuerat ut cui fortè agnus defuisset, & unum horum, id est, aut par turturum, aut duos pullos columbarum, inuenisset, Deo in oblationem filij offerret, nec præjudicaretur ex altero qui unum quodlibet horum obtulisset. Sed quia utraque Christi Ecclesiæque sacramenta significant, credendum est utrumque ad sacrificium matrem inuenisse atque obtulisse. Denique in hac oblatione avium illa præfigurabatur oblatio quæ pro salute mundi oblata est vespera diei, Domini videlicet passio, per quam sumus Deo reconciliati. De hac quippe hostia per Paulum fidelibus dicitur: *Ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit vos & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis.* & rursus. *Qui dilexit me, inquit, & tradidit semetipsum pro me.* Quia verò omnes electi membra sunt Christi, in turture scilicet turtures, atque in columba columbæ, designat etiam hæc avium oblatio mortificationem electorum, quibus per eundem Apostolum dicitur: *Obsecro vos per misericordiam Dei ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.* Sed nulla esse potest accepta Deo mortificationis oblatio in quibus non fuerit vera fidei castitas, veræ caritatis concordia. Pròinde non sine causa sacrificium quod pro Domino mysticè oblatum perhibetur, ex turturibus & columbis fuisse narratur. In turture enim castitas invenitur, & in columba caritas commendatur. Turtur namque intemerata servat uni viro fidem, columba verò aliarum cohabitantium non deserit unitatem. Catholicus igitur Christianus tunc verè spiritualis turtur efficitur si veram trinitatis fidem firma credulitate conservet & hæreticæ pravitatis sensum tamquam fornicationis inquinamenta repudiet. Tunc verè erit columba

Ephes. 5.

Gal. 2.

Rom. 12.

si longanimiter usque ad finem in catholica societate permaneat & contra tentationum scandala immobili firmitate persistat, ut nec hæretica corrupta fornicatio in corde fidei castitatem, nec amara dissentio ecclesiasticæ castitatis dissipet unitatem. Hæc est enim Ecclesia catholica qui fidem uni Domino tamquam legitimo viro conservat, & congregationem multorum in fide multiplicat.

VIII. Sequitur: *Et ecce homo erat in Hierusalem cui nomen Simeon, & homo iste justus & timoratus expectans consolationem Israël, & spiritus sanctus in eo. Et responsum acceperat Simeon ab spiritu sancto non se visurum mortem nisi prius videret Christum Domini. Et venit in spiritu in templum. Nihil minus de sanctitate isti specialiter homini adscribitur, qui & in Hierusalem id est in visione pacis commoratur, & fidei operatione justus, & reverentia timoratus, & Israël's consolatione attonitus, & spiritu sancto repletus, ejusque responsione de incarnati verbi visione roboratus fuisse perhibetur. O quàm ardenti desiderio homo iste expectabat secundum spiritus sancti promissionem videre in carne redemptorem! Quæ putamus fuerit instantia orationis ejus qui divino responso meruit firmari de his quæ petebat? Quæ erant ejus gemituum continuata verba in sancta deprecatione? Non enim petendo cessavit usquequo responsum acciperet super his quæ poscebat. Fuerunt siquidem retroactis temporibus multi simili desiderio accensi, Domino adtestante, qui ad discipulos suos ait: *Multi Reges & Prophetae voluerunt videre quæ videtis, & non viderunt, & audire quæ auditis, & non audierunt.* Sed ex illis hoc isti soli concessum est qui in plenitudine temporis horum ultimam apparuit. Sed si vigilantissimo studio subsequentium sanctorum adtendimus desiderium, quibus Christus*

Luc. 10.  
Matth. 23.



vivere est & mori lucrum, invenimus eos non minoris anxietatis ardore divinitatem ejusdem Salvatoris intueri velle quàm ille concupivit inspicere carnem. Hinc Paulus dixit: *Cupio dissolvi & esse cum Christo.* Multò autem meliùs hinc psalmita ex persona Ecclesiæ dicit: *Sitivit anima mea ad Deum vivum. Quando veniam & parebo ante faciem Dei?* Quis ergo jam hinc non videat in uno Simeone multos, per unum cunctos significari electos, qui nunc & justi ex fide atque operatione, & timorati ex futura expectatione, & attoniti inveniuntur ex ventura consolatione? In quibus etiam spiritus sanctus inesse cognoscitur; quia & per Apostolum dicitur: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum qui datus est nobis.* Et rursus fidelibus dicit: *Corpora autem templum sunt spiritus sancti, quem habetis ex Deo.* Quique responsum accipiunt ab spiritu sancto non se visuros mortem nisi priùs videant Christum Domini: quia in hac adhuc corruptibili vita, ejusdem spiritus sancti gratia revelante, apertis fidei oculis eum qui se cum illis usque in finem seculi mansurum esse repromisit aspiciunt, non jam carne parvulum, sed divinitate immensum. Qui etiam cum Apostolo dicunt: *Et si noveramus Christum secundum carnem, sed jam nunc non novimus.* Habitant etiam & isti in Hierusalem, atque in spiritu in templum quò Christus introducit veniunt. Ipsi enim sunt Hierusalem qui habitant in Hierusalem. Ipsi & templum qui veniunt ad templum, in quibus & à quibus Christus excipitur. Breviter, fratres, ista percurramus, ne dum quæ sunt hujus diei sacramenta, quòdque sanctum piùmque præconium indicare studemus, cuilibet in fastidium veniamus.

IX. Sequitur: *Et cum introducerent puerum Iesum parentes ejus, ut facerent secundum consuetu-*

Philippi 1:

Psal. 41.

Rom. 5:

1. Cor. 6.

2. Cor. 5.

*dinem legis pro eo, & ipse accepit eum in ulnas suas, & bendixit Deum, & dixit: Nunc dimittis seruum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Hinc unius, hinc multorum, immo etiam omnium adimpletur expectatio iustorum. Sed dicamus prius de uno, & sic loquamur de omnibus. Cupimus enim ad hoc studium nostrum inflectere ut quod de uno dicitur, de omnibus veraciter sentiatur. Et ecce dum specialiter de uno venerabili sene cupimus loqui, occurrit prædicanda virginis prudentia, non humana industria fulta, sed spiritu divinitatis afflata, quæ filium oblatura veniens, suæque naturæ humilitatem servans, Prophetæ tradidit manibus offerendum, non ignara utique quis esset cuius manibus Deum hominemque tradebat sacrificio dedicandum. Offert autem Dominum Prophetarum Prophetæ. Offert unicum uni, immo omnibus, in utroque omnibus eundem peperit Salvatorem. Non enim desinit nunc usque offerre quem genuit, cum suis sanctis interventionibus eundem redemptorem electis uni..... facit. Omnes enim filios deputat quos divina gratia Christo consociat. Quando non ipsa mater electorum, quæ fratrem genuit eorum? Si inquam Christus credentium frater, cur non ipsa, quæ Christum genuit, credentium sit mater? Quamobrem obsecro, mi beatissima virgo, offer nobis Christum pijs suffragijs, quæ nescis invidere filijs. Sed nec adendas filiorum injurias, à quibus non ut dignum est honoraris. Tolerat enim pia mater inreverentiam filiorum, quia amore vincitur generationis. Fove ergo, etsi tantis meritis indignos, pijs orationibus quos in uno genuisti; deprecare unicum filium pro excessibus multorum filiorum.

X. Sed jam, fratres carissimi, Christum in ulnas suscipiens quid unus specialiter Simeon dicat

audiamus. Ait enim. *Nunc dimittis seruum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum.* ac si diceret. Longa me expectatione fatigasti, diu retinuisti, sed tamen viso quem expectavi. Nam de humanæ vitæ scandalis in pace dimittis. *Dimittis*; quia secundum promissionem tuam per incarnati verbi mysterium solutis inimicis tibi merui reconciliari. *Dimittis in pace*, quia video pacem. Ipse est enim pax nostra, qui fecit utraque unum. Hoc denique & omnes electi dicunt, qui Christum in ulnas suscipiunt, & qui fidei oculis salutare Dei conspiciunt. Quid enim Christum in ulnas suscipere nisi pijs hunc operibus in membris suis amplecti? Per ulnas enim, id est brachia, virtus operationis exprimitur. Cùm enim in alio esurientem Christum satiant, in alio sitiienti dant potum, in alio hospitem suscipiunt, in alio nudum operiunt, in alio infirmum vel in carcere positum visitant, his proculdubio devotis actionibus tamquam brachijs cottidie eundem ipsum puerum amplectuntur. Et quia hæc agentes illum se in his suscipere plena fide cognoscunt, illum se in his videre non dubitant qui dixit: *Quandiu fecistis uni de his minimis meis, mihi fecistis.* atque eisdem operibus, ut ad pacem Domini redeant, à peccati scandalo absolvi se credunt. Rectè idem Simeon exclamat dicens: *Nunc dimittis seruum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum.* ac si electi dicant: Ideo nos à peccati scandalo secundum promissionem tuam absolvens, jam in carne reconciliatos passibus amoris propinquare cælestibus facis, quia fidei oculis salutare tuum id est Dominum nostrum Iesum Christum in membris ejus intueri eumque pijs operibus amplecti meruimus. De quo adhuc sive ille sive isti Deo patri dicunt, quod

Matth. 25.

- preparasti ante faciem omnium populorum. Nisi à toto pars intelligenda sit populorum, juxta litteram ratione stabit, quia eum nec carnis nec fidei oculis conspexerunt. Nam quod Dominus Thomæ dicit, Quia vidisti me, credidisti, beati qui non viderunt & crediderunt, hoc de visione corporali loquutus est, de quo & subditur: Lumen ad revelationem gentium & gloriam plebis tuæ Israel. Ergo hoc itaque lumine de tenebris revelatæ, hoc inventæ, hoc illustratæ sunt gentes, sicut scriptum est:*
- Isa. 9. Gentium populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam; habitantibus in regione umbre mortis, lux orta est eis. De hoc lumine Iohannes evangelista testatur dicens: Deus lux est, & tenebra in eo non sunt ullæ. De hoc lumine in evangelio ait: Lumen venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem. Et iterùm: Quandiu sum in mundo, lux sum mundi. Quòdque cum sit etiam gloria gentium, ideo ad gloriam Israël dicitur præparatum. Quia sive in Patriarchis, Prophetis, atque Apostolis, immo etiam in ipso omnium capite Christo, sive in eloquiis Dei, ampliùs gens illa quàm gentes gloriosa monstratur, Apostolo adtestante, qui ait: Quid ergo ampliùs est Indæ, aut quæ utilitas circumcissioni? Multum per omnem modum. Primum quidem quia credita sunt eloquia Dei. Et rursùm: Quorum adoptio est filiorum, & gloria testamentum & legislatio & obsequium & promissa, quorum patres, & ex quibus Christus secundum carnem, qui est benedictus Deus in secula. Amen.*
- XI. Sequitur. Et erat Ioseph & Maria mater Iesu mirantes super his quæ dicebantur ab illo. Quibus mirantibus, etiam nos ipsi miramur quare ipsi sunt super his quæ de illo à Prophetis condicebantur mirati. Numquid enim Ioseph jam in somnis ab angelo non audierat: Ioseph fili David, noli ti-*
- Ioa. 25.*
- Luc. 2.*
- Isa. 9.*
- 1. Ioa. 1.*
- Ioa. 3.*
- Ioa. 9.*
- Rom. 3.*
- Rom. 9.*
- Math. 1.*

mere accipere Mariam conjugem tuam. Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Pariet autem filium, & vocabis nomen ejus Iesum. Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Numquid & ipsa sacratissima virgo, quæ salva virginitate filium se genuisse sciebat, priusquam pareret vel conciperet ab angelo non audierat: Ave gratia Luc. 1. plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Spiritus sanctus superveniet in te. & virtus altissimi obumbrabit tibi. Ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. Quid ergo admirantur super his quæ de illo narrantur, nisi quia ceteris mirantibus ut sacramentum impijs occultent? Quid sibi velint talia, quæ de tantillo infantulo ab homine sene dicuntur, & ipsa mirantur. Sed audiant adhuc de illo majora, audiant adhuc de illo potiora.

XII. Et benedixit illi Simeon, & dixit ad Mariam matrem ejus: Ecce positus est hic in ruinam & resurrectionem mortuorum in Israël & in signum cui contradicetur. In una redemptoris nostri Dei hominisque persona perfectam Dei perfectamque hominis inesse confitemur naturam. Ex una quidem Dominum, ex altera servum, ex una fortem, ex altera infirmum, ex una magnum, ex altera parvum, ex una creantem, ex altera creatum, ex una pascentem, ex altera esurgentem, ex una recreantem, ex altera sitientem, ex una miraculis coruscantem, ex altera injurijs succumbentem, ex altera vivificantem, ex altera morientem, ex una suscitantem, ex altera hunc prædicamus suscitatum. Et cum aliud sit in eo Deus, aliud servus, aliud fortis, aliud infirmus, aliud magnus, aliud parvus, aliud creans, aliud creatus, aliud pascens, aliud esuriens, aliud recreans, aliud sitiens, aliud miraculis coruscans, aliud injurijs succumbens, aliud vivificans,

aliud moriens, aliud resuscitans, aliud resuscitatus, non tamen alius Dominus, alius servus, alius fortis, alius infirmus, alius magnus, alius parvus, alius creans, alius creatus, alius pascens, alius esuriens, alius recreans, alius sitiens, alius miraculis coruscans, alius injurijs succumbens, alius vivificans, alius moriens, alius resuscitans, alius resuscitatus. Ex uno quod dictum est Dominus, ex altero servus, ex uno fortis, ex altero infirmus, ex uno magnus, ex altero parvus, ex uno creans, ex altero creatus, ex uno pascens, ex altero esuriens, ex uno recreans, ex altero sitiens, ex uno miraculis coruscans, ex altero injurijs succumbens, ex uno vivificans, ex altero moriens, ex uno resuscitans, ex altero resuscitatus; quique ante oculos mortaliū positus, ex uno venerabatur ut Deus, ex altero despiciebatur ut homo. Denique cum hunc Iudæorum populus cerneret de quinque panibus tot milia hominum pascentem, infirmos curantem, leprosos mundantem, ac mortuos suscitantem, Deum esse arbitrabatur. Rursus cum eundem aspiceret esurientem, sitientem, lassescentem, dormientem, atque injurijs succumbentem, purum esse hominem suspicabatur. Et hæc quidem apud incertas turbas, non apud discipulos. Neque enim ita in cordibus eorum variabatur qui illius assiduis privatisque eloquijs fruebantur, quibus & ab ipso dicitur: *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, ceteris autem in parabolis, ut videntes non videant & audientes non intelligant.* At ubi ventum est ad passionem mortis, periit fides, ablata est omnium spes. Denique, ut evangelista testatur, omnes relicto eo fugerunt. Ex quibus dum unus vinctum à longè sequitur, ad atrium perveniens, eundem se cognovisse denegat. Et quis in mortis passione illoriente non rueret, cum eum præcipuus ejus amator,

Marc. 4.

cùm avidus ejus imitator, unius ancillæ voce perterritus, non semel sed ter abnegaverit? Sed illo in carne à mortuis resurgente, resurrexerunt in anima discipuli. Vtrumque autem ante passionem ejus eadem qua tradebatur nocte in discipulis somno perfidiæ lapsis ac suscitatione ejusdem redemptoris designatum est. Mors ergo ejus facta est ruina multorum. Dicatur itaque. *Ecce positus est hic in ruinam & in resurrectionem multorum in Israël.* ac si diceretur. Eo moriente, multi ex stantibus ruent. Eo resurgente, multi ex lapsis resurgent. Quia verò illo quidem moriente multi ruerunt, illo resurgente multi resurrexerunt. Sed in eum qui ex mortuis resurrexit non omnes crediderunt.

XIII. Rectè subjungitur: *Et in signum cui contradicetur.* Quod enim signamus, ab aliorum notitia abscondimus. Quid autem ante infidelium oculos aliud fuit caro redemptoris quàm quoddam divinitatis ejus sigillum absconsionis? In signum itaque redemptor noster positus fuit. Sed cui nisi illi contradicendum fuit? Quæ causa contradixit? Quid contradixit? Cui contradixit? Ut autem tamquam interroganti cuilibet breviter respondeam, quæ causa contradixit nisi mors carnis? Quid contradixit nisi non esse Deum qui mori potuit ab hominibus ut homo? Cui contradixit nisi omni incredulo? Quæ videlicet contradictio quibusdam versa est in stultitiam, Apostolo adtestante, qui ait: *Nos autem predicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam.*

XIV. Sequitur itaque venerabilis senex justus ac Propheta Dei, & dicit matri Iesu: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.* Solet nonnunquam in scriptura sacra gladij nomine temporalis tribulatio figurari, psalmista adtestante, qui illatas à perse-

Psal. 36.

Psal. 104.

cutoribus passiones in ipsos exoptat reflecti dicens: *Gladius eorum intret in corda eorum.* Hinc idem psalmista de Ioseph loquitur dicens: *Ferrum pertransijt animam ejus, donec veniret verbum ejus.* ac si diceret. Tandiu fuit in illa servitute vel carceris tribulatione donec illud quod futurum prädixerat veniret. Sed nec aliud hoc loco per gladium intelligimus figurari. Quamquam autem multæ tribulationes animam transfoderint beatissimæ virginis, illa tamen hic specialiter designatur quæ Domino in cruce moriente materna viscera transfixit. Dicatur ergo eidem à sancto Propheta: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut reveleentur ex multis cordibus cogitationes.* ac si diceretur. Maternis visceribus tribulationis gladio transverberatis, videbis in cruce pendentem quem angelo nuntiante virgo concepisti, manente virginitate filium edidisti, quatinus per hoc factum & Iudæorum insultantium cogitationes & discipulorum fugientium infirmitas denudentur. Denique in illo cruce pendente Iudæi præsentis insultabant ut descenderet, Apostoli fugientes de cruce illum descendere posse non credebant. Quæ ut fierent, necesse fuit materna pia viscera ejusdem redemptoris passione gladio tribulationis transfigi.

XV. Sed jam ista ut cœpimus quid typicè significant, breviter demonstramus. Quis enim intra sanctam Ecclesiam constitutus non videat in mortem redemptoris nostri illos cadere qui hunc aut solummodo hominem mortalem fuisse aut veram carnem in passione vel in resurrectione non habuisse asseverant? Et quis in resurrectione ejus non consideret illos resurgere qui à perfidia malæ credulitatis divina gratia separati, & in vera hunc carne salva divinitatis suæ impassibilitate veraciter passum, & in vera carne veraciter à sua majestate



suscitatum affirmant? Annon alijs in resurrectionem, alijs verò in ruinam Christus factus fuerat, cùm Paulus de se suisque socijs dixerit: *Christi bonus odor* 2. Cor. 2i  
*sumus Deo. & in his qui pereunt, & in his qui salvi sunt, & alijs odor mortis in mortem, alijs odor vitæ in vitam.* De illis verò quibus humanitas carnis divinitatem abscondit salvatoris ita dicit: *Etsi apertum est* 2. Cor. 4i  
*evangelium nostrum, in his qui pereunt est adopertum.*

XVI. Iam verò si devotè attendamus, ipsam beatam virginem, cujus animam gladius transfo- disse perhibetur, typum Ecclesiæ præfendisse re- perimus, cujus animam pertransivit gladius, scilicet verbum prædicationis. Quòd enim pergladium prædicatio sancta figuraretur, Paulus Apostolus testatur dicens: *Et gladium spiritus, quod est ver-* Ephes. 6.  
*bum Dei.* Gladius etenim animam Mariæ trans- verberat, quia verbum Dei electorum corda pe- netrat, quia penetrans ab errore mortificat, ab errore mortificans in veritatem vitæ commutat. *Vt revelentur,* inquit, *ex multis cordibus cogitatio-* nes. ac si diceret. Idcirco corda sanctorum divini verbi gladius funditus ab errore mortificans, in veritatis doctrinam commutat ut dum quorundam vitia virtutesque loquendo examinant, unicuique quibus loquuntur intima sua manifestent. Hinc Paulus dicit: *Si autem prophetent, intret autem quis* 1. Cor. 14i  
*infidelis vel idiota, convincitur ab omnibus, diju- dicatur ab omnibus. Occulta etiam cordis ejus ma- nifesta sunt. Et ita cadens in terram adorabit Deum, pronuntians quòd verè Deus est in vobis.* Qui autem essent isti Prophetæ, ipse paulò inferiùs aperuit dicens: *Propheta duo vel tres dicant, & ceteri diju- dicent.* Oremus autem necesse est ut idem gladius nostra corda transfigat, quatinus fidelium turbam nobis prædicantibus singulorum virtutes ac vitia exponentibus unicuique interiora sua patefiant.

XVII. Sequitur. Et erat Anna Prophetissa filia Fanuhel de tribu Aser. Hæc processerat in diebus multis, & vixerat cum viro suo annis septem à virginitate sua. Et hæc vidua usque ad annos LXXXIV, quæ non discedebat de templo, jejunijs & obsecrationibus serviens nocte ac die. Et hæc ipsa hora superveniens confitebatur Domino, & loquebatur de illis omnibus qui expectabant redemptionem Hierusalem. Hæc juxta historiam aperta sunt, nec habent aliquid obscuritatis. Commendant autem castitatem beatæ mulieris, instantiam jejuniorum atque obsecrationum die noctûque templo Dei inhærentis. Sed latent in his quædam Ecclesiæ sacramenta. Quid enim per Annam, quæ gratia Dei interpretatur, nisi electorum Ecclesia designatur? ad cujus membra Apostolus loquitur dicens: *Gratia salvi facti estis per fidem.* Quæ bene etiam filia Fanuhel de tribu Aser fuisse perhibetur. Fanuhel quippe facies Dei interpretatur. Aser verò vocatur beatus. Et quid aliud per faciem Dei figuratur nisi qui spiritus sancti gratia repleti, ad cognitionem Dei humana corda primi perduxerunt? Quia enim per faciem quilibet agnoscitur, jure facies Dei vocantur hi per quos cognitio divinitatis revelatur. Quique non immeritò Aser id est beati vocantur, qui ad æternam paternitatem, sive per inspiratam interiùs naturalem, sive per datam exteriùs legem, erudiri meruerunt. Vnde scriptum est: *Beatus homo quem tu erudieris, Domine, & de lege tua docueris eum.* In quibus verbis apertè monstratur electorum Ecclesiam filiam esse Patriarcharum ac Prophetarum; quæ scilicet, sive in spiritu, sive in verbo, rectè etiam Prophetissa nuncupatur. De qua adhuc subjungitur: *Et vixerat cum viro suo annis septem à virginitate sua.* Et quis ejus alius est vir nisi ille de quo per Isaiam Prophetam dicitur: *In die illa apprehendent septem*

Ephes. 2.

Psal. 93.

Luc. 2.

Isa. 4.

mulieres virum unum dicentes, Panem nostrum comedemus, & vestimentis nostris operiemur; tantummodo vocetur nomen tuum super nos, aufer opprobrium nostrum. Quis alius est hominis vir nisi ille de quo in Iohannis Apocalypsi dicitur: *Civitatem Hierusalem novam vidi descendentem de celo, adeo paratam sicut sponsam ornatam viro suo.* Quæ etiam antequam Christo sociaretur, ideo virgo vocabatur, vel quia tunc idola non colebat, vel certè quia non incorrupta, sed infœcunda erat. Tunc autem hanc sibi Christus univit cùm naturam humanam suscipiens evangelium exorsus fuit. Quod itaque annis septem à virginitate sua cum viro suo vixisse describitur, tempus ejusdem prædicationis ipso septenario numero figuraliter concluditur, in quo & septiformem spiritus sancti gratiam ab ipso accepit, & ipsa in septem mulieribus vel septem Ecclesiis mysticè idem uniri meruit. Et quia illo ascendente ad cælos humanitatis ejus præsentia desolata est, jure etiam vidua remansisse narratur. Annon vidua rectè vocatur de qua per beatum Iob hæreticorum facta mentione dicitur: *Pavit sterilem, & quæ non parit, & vidua bene non fecit.* Illud itaque gaudij tempus quo præsentia viri in carne fruebatur, illudque tristitiæ quo ejus præsentia desolanda erat Ecclesia, idem vir ejus designans dicit: *Non possunt filij sponsi jejunare quandiu cum illis sponsus. Veniet tempus cum auferetur ab eis sponsus, & tunc jejunabunt.* In numero autem annorum lxxxiv. quibus vidua esse describitur, totum tempus vitæ præsentis exprimitur. Legimus enim filios Israel, usquequo terram repromissionis ingrederentur, quadraginta & duas mansiones in itinere habuisse. Quibus scilicet quid aliud quàm peregrinatio vitæ præsentis figuratur, in qua eremi tribulationibus exercemur, usque ad terram viventium veniamus.

Apoc. 21.

Iob. 24.

Matt. 9.

Sed propter geminum testamentum, verus scilicet ac novum, idem quadragenarius ac secundus numerus duplicatur, & fiunt octaginta quatuor. Sicut enim propter utraque testamenta duo denarius numerus duplicatus in viginti quatuor senioribus Ecclesiam designat, sic etiam propter eadem duo testamenta quadragenarius ac secundus duplicatus, in octogenario quarto præsens Ecclesiae tempus figurat, & quod ibi per mansiones, hoc hic explicat per annos. Vtrumque enim concorditer peregrinationem ejusdem Ecclesiae denuntiat. De qua & bene subjungitur: *Qua non discedebat de templo, jejunijs & obsecrationibus serviens nocte ac die.* Ipsa est enim templum quæ vidua, jejunijs atque obsecrationibus serviens in templo, quæque oblata sponsi sui corporali specie, quia hanc necdum corporeis oculis intueri valet, ad nihil aliud magis quam ad jejunium & orationem vacat. Hinc psalmista ait: *Fuerunt mihi lacrymae meae panes die ac nocte, dum dicitur mihi cotidie, Vbi est Deus tuus.* Dignè itaque præmittit jejunia, ac deinde obsecrationes adjungit. Quæ enim esse potest obsecratio ubi regnat comessatio? Sed hæc dicens, cordis etiam vult intelligi jejunium; quo nisi quis ab immundis cogitationibus jejunare studeat, obsecrationibus Deo uniti non valet. Sive autem isto, sive alio jejunio, simulque obsecrationibus fulta, die ac nocte servire describitur, subaudis & in prosperis & in adversis ab hoc opere non cessat.

XVIII. Sequitur. *Et ut perfecerunt omnia secundum legem Domini, reversi sunt in Galilaam,* id est, civitatem suam Nazareth. Hic jam figuratè ultima Iudæorum conversio designatur, quando Enoch & Helia prædicentibus Christus ad eos revertitur. Peracta scilicet omnia in Hierusalem, id est in Ecclesia gentium, secundum legem Domini, legem

Luc. 2.

Psal. 41.

legem videlicet testamenti. Quasi enim peracto sacrificio ab Hierusalem in civitatem suam Christus cum parentibus revertitur, cum adimpleta plenitudine gentium, novissimè cum prædicatoribus sanctis ad eos colligendos ex quibus carnem suscepit regreditur.

*Puer autem crescebat & confortabatur plenus sapientia, & gratia Dei erat in illo.* Hæc secundum humanitatem de illo dicta sunt, non secundum divinitatem. Neque enim in sua natura crescit, in qua plenus est, sed in nostra, in qua paulò minùs quàm angeli minoratus est. Nec in sua confortatur, in qua omnium fortitudo est, sed in nostra, in qua pro nobis infirmatus est. Nec in sua adimpletur sapientia, in qua plenitudo sapientiæ est, sed in nostra, in qua pro nobis exinanitus est. Nec in sua gratiæ indiget, in qua omnibus gratiam tribuit, sed in nostra, in qua ea quæ cum patre habet accepit. Quæ scilicet omnia meliùs ad corpus ejus, quod est Ecclesia, quàm ad ipsum caput referri possunt. Vtique quo enim illud consummetur quod Apostolus dicit, *Donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionis filij Dei in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, ut jam non simus parvuli*, cotidie crescit in fide puer Iesus, cotidie verbo sapientiæ adimpletur puer Iesus, cotidie confortatur virtutibus puer Iesus, cotidie gratia salvationis justificatur puer Iesus.

XIX. Hæc de tanta solemnitate breviter diximus, hæc de tam mysticis sacramentis succinctè transcurramus; quia & prolixitatem evangelicæ lectionis adtendimus, & ad hæc agendo moras breves habuimus. De cetero dilectionem, dive auguste Karole, novus veluti filius David pacificus, tuam exoramus, vestramque caritatem, ceteri fratres carissimi, Christo vero Regi & æter-

no Imperatori subditi , ammonemus , si tamē  
hæc loquutio animos vestros fecit intentos , ut  
ad tendatis qua devotione hujus diei solemnitate  
de reliquo celebrare debeatis. Non sit vile illud  
spectaculum in quo filius virginis Deus & homo  
complectitur , in quo virgo & mater ostenditur,  
in quo Prophetæ immo Prophetarum omnium ex-  
pectatio adimpletur , in quo multa Ecclesiæ sacra-  
menta declarantur. Quod ipse cordibus vestris im-  
primere dignetur qui hodierna die justum Simeo-  
nem spiritus sancti inlustratione interiùs pulsans,  
ad templum , quò ipse deferebatur à parentibus,  
docuit immo certè compulit ire , qui cum Deo pa-  
tre & spiritu sancto æquali potestate , æquali vir-  
tute , æquali majestate , æquali æternitate vivit &  
regnat in secula seculorum. Amen.

